ger paluſtus ſagittariꝰ ⁊ ydolatra peſ-
ſimus.vt pꝫ Gen̄.xxij.Bellauit ꝯ fili
os yſaac.ſ.iacob ⁊ eſau et deuicit eſau
ꝑ gulam vendidit eīn̄ ꝑmogenita pro-
pter lenticulā Gen̄.xxvj.De his in ꝑ-
ſona dei dicit ꝓpheta iacob dilexi.eſau
aūt odio habui.Bellauit etiaꝫ ꝯ filios
iacob.q̄ cum eſſent.xij.deuicit.xj.eoꝝ
ꝑ crimen peſſimū ⁊ inuidiā ⁊ facti ſūt
venditores fratris ſui innocentis Io-
ſeph Gen̄.xxvij.ꝓpter qđ indignatus
eſt deus tradidit eos ī captiuitatē qua
dringentis ānis ⁊ vltra in egyptū.Bel
lauit etiam contra egyptios ꝑ crudeli
tatem intantū vt affligerent filios iſrl'
n luto et latere ꝓpter quod permiſit
deus indurari cor pharaonis vt ad ni
hil pietatis moueretur.⁊ indignatꝰ de
us contra egyptios occidit primoge-
nita eoꝝ ⁊ ſbmerſit eos in mari rubro
filijs iſrael liberatis Exo.xiiij.Bella-
uit iterum contra filios iſrael per ydo
latriam ⁊ deuicit eos cum ſcꝫ fecerunt
vitulū ⁊ adorauerunt propter quod
⁊ alia crimina quibus vulnerauit eos
indignatus deus peremit eoſ in deſer
to Gen̄.xxxiij.Sic ꝙ de ſex centū mi
libus qui exierunt de egipto ſolū duo
ſcilicet caleph ⁊ ioſue intrauerūt terrā
ꝓmiſſionis.Bellauit etiam contra fi-
lios iſrael in deſerto ⁊ deuicit aliquos
eoꝝ ꝑ murmurationē.ſ.dathan ⁊ aby-
ron ⁊ thore propter quod indignatus
deus aperuit terram ⁊ deſcenderūt vi-
uentes in infernū.ſicut patet Numeri
.xvj.Bellauit iteꝝ ꝯ filios iſrael ꝑ ho-
micidium ⁊ deuicit eos cum ſcꝫ occi-
derunt prophas amicos dei et imple-
uerunt hieruſalem ſanguine eoꝝ vſqꝫ
ad os propter quod ⁊ indignatus de-
us tradidit eos in captiuitatem baby-
lonie ſeptuaginta annis. Bellauit cō-
tra ſaul primum regem iſrael.⁊ deui-
cit eum per inobediētiam propter qđ
indignatus deus tradidit eos in capti
uitatem ⁊ ſcidit regnū iſrael ab eo pri-
mi Regum.xv.⁊ ipe ſeipm crudeliter
necauit.primi Regum vltimo.Bella
uit contra regem dauid per ſuperbiaꝫ
luxuriam ⁊ homicidium ⁊ deuicit eū
ſcilicet numerauit populum:ſcđi Re-
gum vltimo.Accepit Berſabee vxorē
vrie ⁊ interfecit vriam:ſcđi Reguꝫ.xj.
ꝓpter qđ indignatuſ deus licet penitu
erit percuſſo populo non edificauit ſi
bi templum ſiue domum quā cogita-
uerat.Bellauit contra ſalomonem ꝑ
luxuriam ⁊ ydolatriam ⁊ deuicit eūm
quia adamauit mulieres alienigenas
⁊ fecit multa templa ydoloꝝ.vt pa-
tet tercij Regum vndecimo.Bellauit
contra Roboam per ſuperbiam ⁊ de-
uicit eū ꝓpter qđ indignatꝰ dn̄s rceſſit
iſrl'a domo eius vſqꝫ in preſentem di-
em.vt patet tercij Regū.xij.Bellauit

contra Iheroboam p ydolatriã: ⁊ deuicit eũ: q꞉ peccare fecit iſrl' vitulos aureos adorando vide. iij. Reg. xij. Bellauit cõtra ſennacherib p ſupbiã ⁊ deuicit eũ cum blaſphemauit contra deum iſrl'. ꝓpter qđ indignatus deus percuſſit p angelũ ſuũ in caſtris aſſyriorũ centũ ⁊ octuagintaquinqꝫ milia ⁊ ipm occiderũt ꝓpꝫ cũ ydola in tẽplo ſuo adoraret. ptꝫ Eſa. xxxviij. Bellauit cõtra nabuchodonoſor p ſupbiã ⁊ deuicit eũ cũ fuit gl'ificatus in edificio babylonis ꝓpter qđ indignatus eſt deus ⁊ ꝓiecit eũ a regno: ⁊ ſeptẽ annis cum feris habitabat ſicut beſtia Daniel'. iiij Bellauit cõtra olofernẽ principẽ militie nabuchodonoſor p ſuperbiã. gulã ⁊ luxuriam ⁊ deuicit eũ: ꝓpter qđ indignatus eſt deus: tradidit eũ in manus ſancte mulieris Iudith que pſcidit caput eius. Iudith. vj. Bellauit contra aman p ſupbiam ⁊ deuicit eũ cũ preſumpſit pimere iſrl'. ꝓpter quod indignatus eſt deus: pmiſit q̃ ſuſpenderet᷑ patibulo ⁊ q̃ deleret᷑ genus eiꝰ Heſter. v. Bellauit contra regẽ antiochũ p ſupbiam ⁊ deuicit eũ cũ dixit ſe facturum ierl'm congeriẽ ſepulchri iudeoꝝ. ꝓpter quod indignatus eſt deus pcuſſit eũ plaga inſanabili viſcerũ ſuoꝝ. j. Machab. ix. Bellauit cõtra vniuerſũ populũ gentiliũ p ydolatriã ⁊ deuicit eũ ſicut ptꝫ Sap. xiiij. Cũ p vniuerſũ orbem romani imperantes ydola adorarent. Vnde ⁊ tũc rome templũ Pantheon erat cõſtructũ ſic dictũ. q꞉ ſimulachrũ erat oim deoꝝ. Contra alios innumerabiles bellauit ⁊ varijs vulneribus pctõꝝ inflictis de eis viriliter triũphauit: ⁊ eoꝝ aĩas captiuas poſt hanc vitam ad inferos deducebat: quã captiuitatẽ ⁊ miſeriam deplorantes pres antiqui gemitibus inenarrabilibꝰ clamauerunt ad deũ: vt mitteret liberatorem: dicentes. Veni ad liberandũ nos dñe deus virtutũ ⁊. pſ. lxxix. oſtẽde faciem tuã. i. filiũ tuum humanatũ ⁊ ſalui erimus. Et iterũ Eſa. lxiiij. Vtinã diſrũperes celos ⁊ deſcenderes. a facie tua mõtes defluerent: ⁊ cũ gemitꝰ humani generis audiret altiſſimꝰ miſertꝰ ſte ſup eum: ⁊ miſit in tpe plenitudinis filiũ ſuum redemptorem ⁊ liberatorẽ ⁊ tunc dyabolus finaliter bellauit contra filios iſrl' p maliciam ⁊ inuidiam ⁊ deuicit eos. cũ ſcꝫ occiderunt redẽptorem meſſyam ſuũ. ꝓpter qđ indignatꝰ deus: tradidit eos in perpetuam captiuitatem: ſicut ſupre declaratum fuit libro primo ⁊ tercio.

De perditione domnij demonũ in aduentu chriſti.

Eptima cõſideratio eſt q̃ demones in aduentu xpi p iuſticiam pdiderũt dñium ſuum quod ſup genus humanũ habebant. Fecerat eñ grandem offenſã dyabolus deo tam deceptorie ⁊ fraudulenter contra dei voluntatẽ eius ſeruũ tulit ⁊ fecit ſeruũ ſuum. quo nõ obſtãte ſi voluiſſet reconſiliari deo ꝓ eo ſicut ꝓ homine ſatiſfeciſſet noluit tamen. imo ei placuit ſemp permanere inimicus dei peccatũ ſuũ non recognoſcens q̃ non erat in hoie: imo dolebat de peccato vt deo reconciliaret᷑. Et ideo ne dyabolꝰ poſſit conqueri de iniuſticia ſi forte deus de ſua poteſtate abſoluta vt violenter ſine aliqua ſatiſfactione liberaſſet hoiem p iuſticiã. Debuit pdere dñium qđ ſupra hoiem tenebat. qui hõ ex eo q̃ ab eo victus in padiſo terreſtri fuerat iuſte ſeruꝰ ſuꝰ erat. Qꝛ aũt deus i tali hoĩs liberatione debuit vti iuſticia ⁊ nõ abſoluta potẽtia. ptꝫ ꝓ tanto q꞉ deꝰ eſt neceſſario iuſtus ⁊ taliter iuſtus q̃ non poteſt dici deus ſi nõ intelligatur iuſtus. Et iterũ. q꞉ laudabilior eſt princeps qui vtit᷑ iuſticia q̃ꝫ potentia ſolũ

Quod aūt primus homo nec omēs homines. nec oēs āngeli boni.nec etiam oēs demones simul nō potuerūt ſatiſfacere p hoie:ſꝫ ſolū deus ⁊ hō vt declaratū eſt ſupra lib.iiij.cōſideratōe.v in.iij.articulo fidei. Nō eñ totus mūdus ſoluere valebat debitū primi hoīs vt Apoc.v. Nemo poterat in celo nec in terra neqꝫ ſubtus terrā apire librū neqꝫ videre illū.i.implere redēptionē humani generis q̄ ab eterno ſcripta fuit in libro diuine diſpoſitōis:vt p chriſtū ſolū impleref. Librū ergo ipe ſoluſ aperuit:qꝛ ſolus penam crucis nobis mortis debitoribus tulit. Vñ dixit pſ̄ lxviij. Que nō rapui ſcꝫ xp̄s tūc exſolnebaꝫ. Mirabanf aūt hoies poteſtatē magnā dyaboli ⁊ eius dñium ſup hoīnes ⁊ dicebant illud Eſa.xlix. Nunqd tollef a forti preda.i.humanū genuſ a dyaboli poteſtate.aut qꝫ captū fuerit a robuſto ſaluū eſſe poterit. Et rn̄det deus ibidē.hec dicit dñs equidē ⁊ captiuitas a forti tollef:⁊ qđ ablatū fuerit a robuſto:ſaluabif ſcꝫ p xp̄m. Vnde ſeqtur ibidē:q̄ſi muſto ſanguine ſuo iebriabunf.⁊ ſciet oñis caro qꝛ ego dñs ſaluans te redemptor tuus fortis Jacob. Et cōfirmaf p dictū ſaluatoris Johis xij. Nūc iudiciū ſcꝫ diſcretōnis eſt mūdi:nūc princeps hui⁹mūdi eijcief foras ſcꝫ a dñio ⁊ ptāte tyrānica ſup hoīnes. Vnde ipe dyabolus dicebaf princeps mūdi:qꝛ dñaf in hominibus mundo deditis. Et ſic dicit Paulus ad colloceñ.ij. Expolians ſcꝫ chriſtus principatus ⁊ poteſtates traduxit confidenf id eſt dyabolum exterminauit longe a poteſtate quē habebat. Et ſi queras đ modo quē xp̄us tenuit vt vinceret dyabolū:⁊ eius dñium auferret. Reſpondef qꝫ fuit modus quo piſcis capif hamo ſub eſca abſconſo:qꝛ volens capere eſcam nō videns hamū capif ab hamo.ſic chriſtus volens preliari cū dyabolo in ſua paſſione abſcondit ſuā fortitudinē.ſuam pulchritudinem.ſuam ſanitatem.ſuā dignitatē in cruce. Cū eñ p virtutem fortitudinis deberet cū dyabolo preliari totā eam abſcōdit tenendo manus fixas ⁊ clauatas in cornibus crucis. Vñ Abacuc iij.iij .ca.loquens de cruce xp̄i dixit. Cornua ſcilicet crucis in manibus eius ibi abſcondita eſt fortitudo ei⁹.⁊ patet fortitudo ſua ibi in abſcōdita.qꝛ p eam vicit fortiſſimā mortē ⁊ fortiſſimū dyabolum. Nā ſequif in illo eodē ante faciē eius ibit mors:egredief dyabolus ante pedes ei⁹ſcꝫ victus ⁊ nudus a ſuo dñio ⁊ potētia quā primo tenebat. Abſcōderant eñ demones laqueus mortis pedibus nr̄is in ligno ſciētie boni ⁊ mali Et ideo xp̄s abſcondit eis laqueū.vnde capti ſunt in ligno crucis. Et idō dixit pſ̄. Veniat illi ſcꝫ dyabolo laque⁹ quē ignorat ei ⁊c̄. Abſcōdit etiā in cruce ſuā pulchritudinē in turpitudinem cū eſſet precioſus forma p̄ filijs hoim pſ̄.xliiij. Ibi nō erat ei ſpecies nec decor abſconditus vultus eius ⁊ deſpect⁹ Vñ nec reputauim⁹ eum. Eſa.liij. Abſcondit terciō ſuā ſanitatē in infirmitate:qꝛ vt dicif Eſa.cap.eodē. Nos reputauimus eū q̄i leproſum pcuſſuꝫ a deo ⁊ humiliatū virū dolorꝫ ⁊ ſcientē infirmitatē. Abſcondit quarto ſuā dignitatem in cōtemptū ⁊ vilitatē:qꝛ cū latronibus ⁊ homicidis:cuꝫ iniquis ⁊ ſceleratis deputatus eſt Eſa.cap. eodē. Cū tamē eſſet ſūme dignitatis ⁊ excellentie.qꝛ verus deus ⁊ verus hō ſicut fuit declaratū ſupra lib.j. Sic ergo in chriſti paſſione egreſſus eſt dyabolus victus ante pedes eius pdita poteſtate ⁊ dñio liberato hoīe ab eius captiuitate Et ideo in figura hui⁹legif.j. Reg.xvij qꝫ dauid occidit leonē ⁊ predam ei⁹ tulit ab ore hui⁹leonis. Petebat ꝑpheta liberari dicens. Salua me ex ore le

onio.ps.xxj.Et in ſignū victorie habi
te ligauit xp̄us humani generis inimi
cum ſcʒ dyabolū.⁊ ſic ante faciem iuit
mors.i.dyabolus victus ⁊ ligatus ſic
in triumphis victi ſolent ire ante victo
rem ligati. Unde Apoc.xx.Apprehē
dit draconē ſerpentē antiquū qui ē dy
abolus ⁊ ſathanas ⁊ ligauit eū p annos
mille.i.vſqʒ ad tp̄s antichriſti: ⁊ ponit
ibi tempus determinatū p indetermi
nato. Et qr tunc reſumet violentaʒ po
teſtatē: ⁊ exiet p affluentē malignitatē
vt mittat pplos in errorem. Ideo tūc
dicit ſolui. Signū aūt manifeſtuʒ pdi
tionis dn̄ij demonū fuit ceſſatio ydola
trie in vniuerſo mūdo ad predicatōnē
chriſti ⁊ aplorū p quam ydolatriaʒ fe
re vniuerſum orbem captiuuʒ tenebat
cū ydolis.vt deus coleret.

De pprietatibus ⁊ malicia demonum.

Octaua cōſidera-
tio eſt d̄ ꝓprietatibus ⁊ malicia
demonū. Circa primū vt notat Jobis
viij. Chriſtus aſſignauit tres ꝓprietates
precipuas diaboli. Prima ꝙ eſt homi
cida ab initio. quia homo in ſpecie hu
mana ponit p aiam. Ido ille magis p
prie eſt homicida q aiam interficit per
pctm̄ mortale ꝙ iſte q interficit corp⁹:
p quod homo pueniᵗ cū brutis. Hoc
aūt fecit dyabolus a principio mūdi.
quia p ſuggeſtionem eius primū pec
catū homini contigit: ⁊ in hoc officio
continue pſeuerauit. Secūda proprie
tas dyaboli ibideʒ eſt ꝙ in veritate nō
ſtetit.i.in debita obedientia ad deum.
Res eñ dicunt vere inqātum confor
mant veritati prime a qua veritate de
uiauit dyabolus per peccatū ſuperbie
Tercia eſt ꝙ mendacium ex ꝓprijs lo
quit.id eſt ex habitu malo in quo ē ob
ſtinatus.⁊ ſubdit cauſa.qr mendax eſt
⁊ pater eius.i.ipſi⁹ mendacij. Qui eñ
mendacia ab alijs inuenta ſoluʒ refert
mendacia dicit ſʒ qui ea facit mendax
dicit ⁊ ꝓpter hoc dyabolus dicit pater
mendacij.qr primū mendaciū adinue
nit dicens mulieri Gen.iij. Nequaqʒ
moriemini. Sed eſt difficultas cū ſint
mendaces ſi poſſunt demones cōpel
li ad dicendū veritatē. Dicit ꝙ ſic. Cō
pellunt eñ fallaces ſpūs ad dicenduʒ
veritatē ⁊ ſalubria nobis: ſicut exēplifi
cat btūs Aug⁹.viij.de ciuit.dei cap.x
xvj.de dolore demonū q loquebant p
hermen antixp̄i aduentū de ſuis futu
ris penis apud memorias ſctōrū mar
tyrū quas iminere cernebant. In mul
tis eñ ait Aug⁹.talibus locis torquen
tur ⁊ confitent ⁊ de poſſeſſis hoim cor
poribus eijciunt. Sūt ⁊ alie vigintidue
demonū ꝓprietates quarū viginti nu
merant in.ij.lib.ſūme veritatis theolo
gice ſcʒ ꝙ ſūt ſpūs impuri humani ge
neris inimici mente rōnales nequitia
ſubtiles.nocēdi cupidi p ſupbiam tu
midi ſp in fraude noui imutant ſenſus
indnant effect⁹ vigilantes turbant dor
mientes p ſomnia inquietant morbos
inferūt tempeſtates concitant in ange
los lucis ſe transformant.ſp in infernū
ſuū ſecū portant. In ydolis diuinum
cultū ſibi vſurpant.ſp bonis dn̄ari ap
petūt magice artes p eos fiunt bonis
ad exercitiū dant ſemp fini hominis inſi
diant.hec ibi. Uiceſimaprima demo
nū ꝓprietas eſt ꝙ ſp ambulant in cir
culo. Un̄ ps.d demonibus ait. In cir
cuitu impij ambulāt. Itē cū dn̄s que
reret a ſathan Job.j. Unde venis. Re
ſpondit. Circuiui terraʒ ⁊ pambulaui
eam: qd quadrupl'r intelligi pōt.pmo
ſic. Circuiui terrā.i.data eſt mihi vlis
temptādi diligentia: qr pauci ſunt in q
bus nō habeant locum veſtigia mea.
Secūdo ſic exponeret dyabol⁹ ſi poſ
ſet inclinari ad ſuū pctm̄ cognoſcēduʒ

Circuiui terram.i.in hoc me oſtendo
remotū a virtute ⁊ obſtinatū in malo
qꝛ ſp ſum in circūferentia ⁊ nunꝗ poſ
ſum venire in lineam p quā veniaꝫ ad
mediū quod eſt virtus. Tercio ſic cir-
cuiui terram ꝓpter anxietatē laboꝛuꝫ
Vñ glo. ſathan laboꝛans terrā circuit.
qꝛ quietus in dei culmine ſtare cōtem
pſit. Quarto ſic circuiui terrā ꝓpter h
q dyabolꝰ ē ſerpēs toꝛtuoſus. vñ Eſa.
xxvij. Viſitabit dñs ſup leuiathan ſer
pentē toꝛtuoſū. ⁊ ſicut motus circula-
ris q̄ntū eſt de ſe nunꝗ ceſſat. ſic ⁊ dya-
bolus nunꝗ quieſcit. ⁊ qꝛ ſp in circu-
lo eſt ideo nunꝗ rectus: ꝫ magis toꝛ-
tuoſus eſt. Recte ĝ dicit de demonibꝰ
recte in circuitu impij ambulant. Et ſi
queras qualiter circuit dyabolus. Re-
ſpondit glo. ſup illo verbo. j. Petri. v.
Circuit querēs quem deuoꝛet: dicens.
Circuit tanꝗ hoſtis obſidens muros
clauſos exploꝛat an ſit ps aliqua mu-
roꝝ minus ſtabilis cuiꝰ additu ad ite-
rioꝛa penetret. Offert oculis foꝛmas
illicitas ⁊ faciles voluntates ⁊ viſu de
ſtruat caſtitatē. aures p canora tēptat
⁊ molleat xp̄ianū iniurijs laceſcētibus
ad cedē inſtigat. honoꝛes terrenos ꝓ-
mittit vt adimat celeſtes. ⁊ cū latenter
nō pōt fallere apertos addit terroꝛes.
in pace ſubdolus in pſecutōne violētꝰ
cōtra quē tm̄ animꝰ debet eſſe patꝰ ad
reſiſtendū q̄ntū ille patus eſt ad repu
gnandū. Hec ibi. Viceſimaſc̄da dmo
nū ꝓpꝛietas eſt q ſunt crudeles imo ſe
uiſſimi: ⁊ eſt crudelitas demonis in tri
bus. Pꝛimo in pſidendo. vñ Eſa. xix.
Tradā egyptū in manu demonioꝛum
crudeliū. Sc̄do demon eſt crudelis i
puniēdo Prouerb. xvij. Semp iurgia
querit malus. angelus aūt crudelꝭ mit
tet cōtra eum. Tercio eſt crudelis i nō
miſerendo. Ihere. vj. Crudelis ē ⁊ nō
miſerebit. ⁊ j. Petri. v. Aduerſariꝰ ve-
ſter diabolus tanꝗ leo rugiens circuit
querens quem deuoꝛat. Eſt eñ figura
liter beſtia illa de qua dicit Geñ. xxx-
vij. Fera peſſima deuoꝛauit filiū meū
ioſeph. Multe alie ſūt ꝓpꝛietates de-
monū quas nō ſufficere calamo expli
care. ido hec ſufficiāt ꝓ p̄nti. Videndū
eſt ĝ de ſc̄do ſcꝫ de malicia demonū q̄
q̄druplr̄ explicare pōt. Pꝛimo demo
nes aliq̄ modo ſuadēt bonū: ꝫ nō ꝓpt
bonū ꝫ ꝓpter malū finē: vt cū inſtabi-
libus hoibus in bonū ſuadēt ingreſſū
religionis. ſciētes q nō pmanebūt ſed
apoſtatabūt. Non aūt talia ſuadēt ſta
bilibus hoibus in bonū. Secundo de
monū malicia oſtendit cuꝫ decipiunt
hoiem ſuadendo malū ſub ſpecie bo-
ni. vt piurare ⁊ iuramentū falſum face
re ꝓ rebus alterius conſeruādis. Ter-
cio demonum malicia oſtenditur cuꝫ
decipiunt hominem diſuadendo bo-
nū tanꝗ nociuū: vt cū diſuadet ꝓbo ⁊
ſtabili viro ingreſſuꝫ religionis ne de h
peniteat ⁊ egrediēs confundat. In cu
ius pſona Bernardus ſic loquens ait.
Noli inq̄t pꝛecipitanter agere. diu cō-
ſidera diligenter intuere: magnū ē qd
ꝓponis ⁊ opus egens magna delibe-
ratione. expire q poſſis amicos cōſule
ne poſt facta penitere cōtingat. Cōtra
cuiꝰ conſiliū Bernardus ſubiūgit. hec
eſt ſapiētia mūdi aialis ⁊ dyabolica in
imica ſalutis ſuffocatrix vite. mater te
piditatis eiꝰ que ſolet deo vomitū ꝓcu
rare. Cū eñ vbū dei eſſe non dubites:
qd opus es deliberatōne vocat te ma-
gni ꝯſilij angelus. Quid ergo adhuc
cōſiliū pꝛeſtolaris. quis eñ ſapiētioꝛ ⁊
fidelioꝛ illo. ab oꝛe putei iehenne eripi
oꝛ ⁊ cōſiliū petā amicos cōſulat q̄ non
legit inimici hoies domeſtici eiꝰ Mi-
chee. vij. Supradicto modo dyabolꝰ
malicia ſua aliq̄n diſſuadat aliquibus
oꝛationē vel elemoſinan: ne p hoc in-
currat vanam gloꝛiam. Quarto dmo
nū malicia oſtenditur cum decipiunt

hominē diſſuadendo malū vt ducunt ad penas. aliqñ intpantiam in victu et in ſomno: vt inducāt indiſcretā abſtinentiā q̄ eſt peius: ⁊ ſic ei⁹ malicia mille nocēdi modos hꝫ. xvj. q. ij. cap. viſis ſp. Rugit aduerſus hoīes q̄ quidē rugitus nihil aliud eſt q̄ꝫ ei⁹ volūtas ⁊ ardētiſſima cupiditas nocēdi. Vñ glo. ſup hoc verbo tanq̄ꝫ leo rugiens dicit. Sicut rugitus leonis impedit aures ne aliū ſonum recipiant. ſic dyabolus fideliū mentes terrēdo vel illicita ingerendo a via veritatis ne vocē xp̄i audiant auertit. Et ſi queras nūquid ſp creſcit malicia dyaboli. Ad qd̄ r̄ndet doctor ſeraphicus Bonauētura in. ij. lib. ſniarū q̄ in dyabolo creſcit malitia voluntatis q̄ꝫtū ad vim adminiſtratiuā q̄ cōuertit̄ ad hoīem: ſꝫ nō q̄ꝫtū ad contemptiuā q̄ eſt ſimplex ⁊ auerſus a deo. qꝛ q̄ꝫtū ab hanc nō eſt in ſtatu demerēdi. Sed nunq̄d malicia demonū aliq̄ via impediri pōt: dicit̄ q̄ ſic. Quadrupl'r eñ impediri pōt. Primo p̄ terminum pcti poſitū a deo. Secundo p̄ reſiſtentiam bonoꝝ ſpirituū. Habet eñ angelos. vnū bonū ad cuſtodiā ⁊ vnū malū ad exercitiū. Tercio p̄ liberū arbitriū homis nō coſentientis. qꝛ dyabolus neminē vincit niſi volentē ab eo vinci. Vñ ambroſi⁹ de vita btā ⁊ ponit̄ xvj. q. j. ca. Non eſt. Voluntariū militem elegit ſibi xp̄s: voluntariū ſibi ſeruū dyabolus actionat̄. neminē iugo ſeruitutis aſtrictum poſſidet niſi ſe ei prius peccatoꝝ ere vendiderit. Quarto ꝓpter peccati abhominationē. quia demones nobilioris nature deteſtant̄ peccata vilia. Hec ſufficiant ꝓ preſenti de ꝓteſtatibus ⁊ malicia demonū.

De bello demonū poſt aduētum chriſti vſq̄ ad diem iudicij.

Nona conſideratio eſt de bello demonum poſt chriſti aduentū vſq̄ ad diē iudicij. vñ licet demones ꝑdiderant ꝑtātem quā primo ſup humanū genus habebant. ⁊ eoꝝ princeps victus ⁊ ligatus vſq̄ ad prefinitū tp̄us ſit in inferno. vt ſupra declaratū eſt cōſideratiōe. iiij. Permittunt̄ tamē demones habere cōſilia ſua cū ſuo principe lucifero ⁊ temptare homines ꝓ eoꝝ exercitio: ⁊ vt iſtud bellū poſſimus intelligere imaginemur eccleſiam fideliū tantū vnam ciuitatem dei: que dicat̄ fidei fortaliciū: vel ciuitas iuſtificatōnis ſiue bone conſciētie que duodecim ꝑfectionibus decorat̄: Primo eſt in ſitu cōgruenti. qꝛ in medio vbi virtus habitat longe ab extremis ſcꝫ vicijs ⁊ pctis. Secūdo eſt pulchra ⁊ excellens. qꝛ maior pulchritudo hoīs eſt in bona cōſcientia. Tercio eſt in ſecuritate: quia non timet aduerſa. Quarto eſt ſana: qꝛ in bona cōſcientia nō poteſt habitare infirmitas peccati. Quinto eſt ſituata in loco delectabili qꝛ nunq̄ꝫ eſt vera delectatio vbi non eſt quies cōſcientie. Sexto eſt in bona diſpoſitione: qm̄ in circulo edificata eſt ꝑ operū ꝑfectionē. Septimo habet cōcordiam ciuiū. qꝛ ſp hō in ſtatu iuſtificatōis diligit ꝓximū ſuum ſicut ſeipm̄. Octauo habent priuilegioꝝ abundātiam: qꝛ nō ē ſub lege pcti. Nono quia habēt victualiū abundantiā. qꝛ nihil ibi deficit vbi gr̄a abūdat. Decimo hꝫ bonū regimē cū volūtas rōnis ſibi ſbijciat̄. Undecimo eſt libera a captiuitate ꝑ xp̄m: ⁊ etiā qꝛ bona cōſciētia nō eſt ſub ſeruitute diaboli. Duodecimo hꝫ amorē ⁊ charitatē qd̄ pulchrificat totā ciuitatē. Iſta eſt illa ciuitas ir̄lm deſcēdens de celo ornata a xp̄o ſic̄ ſpōſa pulchra ⁊ excellens vbi ipe habitat: ꝑ grām deoꝝ Apoc. xxi. Huic ciuitati

pulcerrime vt fortiſſima eſſet xpus poſuit murū antemurale: ⁊ foſſatū; murus eſt charitas que omnia ſuſtinet hūc cuſtodire debent prelati eccleſie: epi ⁊ clerici q̄ ſtare debēt ad portam ciuitat ut ſi venerit aliquis de pugna dyaboli vulneratus p pctm̄: dent ſibi medicinam penitētie: ⁊ ſi venirēt paupes indigētes tribuant eis de bonis eccleſie q: bona clericor pauperū ſunt. Secūdo poſuit antemurale q eſt iuſticia et equitas q̄ ſunt in defenſionē muri. ⁊ h antemurale defendere ⁊ cuſtodire debent principes xpiani q̄ poſiti ſunt p iuſticia miniſtrāda in mūdo. Vn̄ ſap. j. dicit. Diligite iuſticiā q̄ iudicat terram. Hi etiam debent ad portas antemurale: vt ſi forte inimici venerit et voluerint impugnare murū cum fuerint inter murū ⁊ antemurale eos capiant ⁊ faciant iuſticiaz expedientē. Tercio poſuit xps predicte ciuitati foſſatū pfundū qd̄ eſt humilitas. Iſtud cuſtodire debēt religioſi q̄ debēt eſſe fundati in vera humilitate: ⁊ eā oibus veniētibus predicare. Quid dicā de hac ciuitate: ſi tales ſūt cuſtodes vere ipa eſt glīoſa ⁊ habitans in cōfidentia ſophonie. Scdo glīoſa q̄tum ad pulchritudinē ⁊ habitans in cōfidentia q̄tū ad ſua magna fortalicia. Merito ḡ glorioſa dicta ſunt de te ciuitas dei. ps. teſte Talis fuit hec ciuitas in primitiua eccleſia qn̄ ipis fidelibus erat cor vnum ⁊ aia vna: vt legit in Acti. Vidēs ergo dyabolus felicitatē ⁊ glīaz predicte ciuitatis: doluit vehemēter cognoſcens q in ea multe aie liberate a manib᷒ ei᷒ ad ſedes celeſtes vnde ipe ceciderat angelor manibus cū gaudio ferebantur nō curans debellare iudeos. ſaracenos n: c hereticos ⁊ alios obſtinatos iuxta dictū Gregorij: q: illos temptare negligit q̄s quieto iure ſe poſſidere ſentit. Cogitauit q predictā ciuitatē debellare poſſet ⁊ primo inter cetera excitauit contra eam pſecutionē gentiliū q̄ durauit toto tp̄e apl'or ⁊ ducentis annis vltra. In qua pſecutōe ⁊ bello vltra. cc milia hoim vtriuſq ſexus p veritate fidei ⁊ zelo ciuitatis iuſtificatōis ſiue bone cōſcīētie martyrio coronati ſunt ſic libro. j. cōſidera. iij. articulo. j. in examine. iij. latiſſime declaratū fuit. In quo bello nihil lucratus eſt diabolus ſ; potius miſerabiliter victus ab illo bello ceſſauit cū p talē pſecutionē plus multiplicarent fideles ⁊ fortior efficiebat ciuitas iuſtificatōnis vere fidei ⁊ bone cōſcientie. Suſcitauit etiā bella heretior: quorū hereſes p diuerſa ꝯſilia examinate dānate ſūt: ⁊ plīmi eorū igne cremati: ſic q eor in publico nō ē vox neq ſonus: licet in occulto nimiū ſeuiat iſta peſtis. ſicut. ſ. lib. ij. declaratum eſt. quare cū ſit malicioſiſſim᷒: vt in pcedenti cōſideratōne dictū fuit non valens quieſcere. Cogitauit cōtra pdictā ciuitatē aliam edificare que dicet babylonie. i. confuſionis ⁊ dyabolica cuius fundamentū poſuit contemptū dei ſuper qd̄ edificauit duodecim abuſiones que ſunt principes. iniuſtus. curialis adulator. miles ſine fide. cōſiliari᷒ ſine veritate. cōmiſſarius ſine pietate. prelatus ſine caritate. aduocatus de rapacitate. clericus ignorās. religioſus ſupbus. mercator falſus. iuuenis ſine verecundia. ppl's ſine amicicia. Murus predicte ciuitatis dyabolice dicit animoſitas ⁊ diuiſio. Antemurale dicit iniuſticia ⁊ oppreſſio. Foſſatū vo dicit ſupbia ⁊ ambitio: ⁊ ſic in oibus iſta ciuitas cōtrariat prime ciuitati. De his duabus ciuitatibus dicit Aug᷒. de ciuita. dei. Duo amores fecerūt ſibi duas ciuitates: q: vna incipit a ꝯtemptu ſui vſq ad amorē dei. ⁊ hec eſt ciuitas iuſtificationis. Alia vo incipit a contēptu dei vſq ad amorē ſui: ⁊ hec eſt ciui

tas diaboli ⁊ deſtructionis. Cum ergo
ex diuina ꝑmiſſione vidit dyabolus ſe
potentē ad expugnandū magna ꝑte p̄
dictam ciuitatē ordinauit exercitū ſuū
in triplici acie. In prima poſuit capita
neū ſathan. in ſc̄do beelzebub. i tercio
v̄o mām̄onā. Primꝰ capitaneus bel-
lauit ⁊ cōtinuo bellat cōtra religioſos
q̄ cuſtodiūt foſſatū. ⁊ p̄dictus dyabolꝰ
portat ꝓ armis ſuis ſupbiā. ſimulatio
nē ⁊ ambitionem. Cōmittit ergo inter
vtroſq; durū bellū ⁊ vulnerati ſunt ac
trucidati ſpecial'r plurimi religioſi ſi q̄
ferūt habitū humilitatis in corpe ⁊ leo
nē ſupbie in corde. exterius apparent
hoibus humiles capite in terrā inclia-
to: ſ; corde ſūt altiores celo. Ego vidi tē
poribus meis duos religioſos duorū
ordinū informatoꝝ q̄ a mūdo ſegrega
ti: ſancti viri mundū cōtemnentes ex-
terius videbant ſic victos a demone ꝙ
ſua clauſtra relinquētes mūdanis fa-
uoribus adherētes ep̄i facti ſūt nō vo-
cati: ſ; vt erūnas fugerent ordinū ſuoꝝ
ꝙ fuit in magnā confuſionē p̄dictarū
religionū ⁊ cauſa multarū murmura-
tionū. Ipi v̄o facti ſunt inuerecūdi: ac
ſi nihil eoꝝ ſtatui indecens feciſſent vt
ſurdi in omnibus ꝑtranſibant. Bellat
etiā dyabolus cū alijs religioſis ꝑ am-
bitionē: ⁊ intantū vulnerat eos ambi-
tione miſerabil: ꝙ cū non efficiunt p̄-
lati in ordine int̄ dei ſeruos viuere nō
poſſunt imo exeuntes ad alios ſe trāſ-
ferūt vbi poſſunt ſuas ambitionēs im
plere non attendentes ꝙ cū ppl'i xp̄m
voluerunt facere regem fugit in mon-
tem Ioh. vi. Charitas etiā nō eſt am
bitioſa. i. Cor. xiii. ſup quod dicit Au-
guſti. Ocium ſanctū querit charitas
veritatis negocium ſuum ſuſcepit. ne
ceſſitas charitatis quā farcinā ſi nullꝰ
imponit vacandū eſt veritati. ſi aūt im
ponit̄ ſuſcipienda eſt ꝓpter charitatis
neceſſitatem. Alios aut religioſos ine-

nit dyabolūs deſiderantes viſiones et
reuelationes: ⁊ quia raro tale deſideri
um abſq; radice ſuperbie ⁊ preſumpti
onis: ſeu vane curioſitatis inuenit̄ iu-
ſticia dei ꝑmittente veniunt in illuſio-
nes ⁊ deceptiones dyaboli ꝑ quē mo
dum ſeminat dyabolus in maiori par
te temptatōnes ſpūales huius tempo
ris: ⁊ indicat in corde illorū qui ſunt
miniſtri antichriſti. ⁊ ſic cadūt plurimi
religioſi vulnerati ſupbia a demonibꝰ
Eapropter fugiendū eſt tale deſideriū
ſicut venenū cum non concedant viſi
ones ⁊ reuelationes vere ꝓpter tale de
ſiderium: ſed ſolum procedunt ex pu-
ra bonitate dei ⁊ in anima exiſtente in
magna humilitate. timore ⁊ reueren-
tia ⁊ feruenti amore dei. Alios aūt reli
gioſos vulnerat ⁊ precipitat dyabolus
cum in orationibus quas faciunt ſuſti
nent aliquam conſolationem que fun
dat̄ in preſumptione ſiue exiſtimatio-
ne ſuperba ſuipſius: aut inducente ip
ſos in ambitionē ſui ꝓprij honoris et
glorie. aut in vita iſta aut in paradiſo:
cum talis conſolatio principaliter in-
cludat ſaturitatem ⁊ refectionem ſue
ꝓprie affectionis. Ex quo ſequit̄ multi
tudo maxima peſſimorū viciorum et
erroꝝ. ⁊ ideo talis conſolatio fugiēda
eſt om̄o: ⁊ ſolum illa eſt ſuſtinēda que
ſequit̄ ꝓpriam cognitionē tui ⁊ ꝑfectā
ſenſibilitatem tue nihilitatis ⁊ tue im
ꝑfectionis cum magna ſubiectōne tue
magnitudini ⁊ altitudini dei per altā
reuerentiam: ⁊ cum magno deſiderio
honoris dei. quia in talibus vel ſimili
bus debet fundari talis conſolatio Ca
uere etiam ſumme debent deuoti reli
gioſi ab omni ſentimento ⁊ viſione q̄
tumcunq; alta ⁊ q̄tumcunq; appare-
at certa ſi ducat eorum cor in opinio-
nionem. preſumptionē aut affectionē
ꝯtra aliquem articulum fidei aut ꝯtra
bonos mores ⁊ bonas honeſtates cuꝫ

ſine dubio ex pte dyaboli ſint. Hec eſt
doctrina illius illuiati z ſancti viri fris
petri de ſcroyo in qbus ſuis notabibili
bus de remedijs contra temptatões
ſpūales q fuit vnus de principalib⁹ re
formatoribus orginis noſtri in hoc re
gno caſtelle. O q̄ debilitatū eſt foſſatū
ciuitatis dei: z q̄ pauci veri religioſi hu
miles inueniunt in orbe pſertim cum
multi cadūt ex ſimlata ſanctitate que
ſm Hierony. duplex eſt iniqtas. Ta
les em̄ ſepulcra dealbata plena ſpurci
cia mortuoꝝ nuncupari debent. Sz li
cet innumeri cadant z peant de foſſa
to victi a dyabolo. Aliqui tamē ſemp
manent q viriliter reſiſtūt quos deus
cognoſcit z reſeruat p defenſione ſue
ciuitatis dilecte. Sed accedit ſecunda
acies bellatoꝝ diaboli beelzebub z dat
ſcōm preliū antemurale quoꝝ arma
ſunt oppreſſio, diſtractio, iniuſticia z i
dignatio, z cōmittit hoc bellū forte ſic
q multi principū z militū inuenti ſunt
vulnerati in capitibus: noia vulneruꝫ
ab armis dyaboli nuncupant oppreſ
ſio populoꝝ. deſtructio impotentum.
Iniuſticia z indignatio de talibus pn
cipibus z militibus dicit Ezech. xxij.
ca. Principes eius in medio eius qſi
lupi rapientes predam ad effundēdū
ſanguinem z ad pdendas animas z ſic
antemurale iuſticie z equitatis rūpit:
q2 vigiles ſcz curiales z cōſiliarij dor
miūt non vigilāt p bono ciuitat ſed p
bono pprio cōſulendo principibus in
iuſticias oppreſſiones adulando eis z
laudando eoꝝ malū regimen. De tali
bus principibus dicit dñs p pphetam
Oſee. viij. Ipſi regnauerūt z nō ex me
principes extiterūt z nō cognoui eos.
Vere iſto tempore magnam victoriaꝫ
z grandem predam de princioib⁹ z mi
litibus repoꝛtat dyabolus. Cum vix in
ueniatur qui non ſtudeat tyrannice p
ſidere potiuſq recte in ſuo regimie fa

cere. Nec querunt iam principes con
ſiliarios virtuoſos z honeſtos: ſed ho
mines vulpinos aſtutiſſimos z fraudu
lentos quibus poſſint ſuas militias et
tyrānides colorare p adinuētiones dy
abolicas exquiſitas cuꝫ quibus capti
uati a dyabolo pibunt ſine fine. Iaꝫ vi
carius xpi nihil fere pt in eccceſijs pro
uidere niſi q principibus placet. z ſic
ſepe puident de dignitatibus z bene
ficijs eccleſie viri inſipiētes viri ſcelera
ti: paruuli lactātes z qui nondū a ma
terno vtero exierūt. Sic ergo antemu
rale ciuitatis iuſtificatōnis quaſi totū
videt diruptū z expugnatū p demōes
licz aliquos deus ſuo occulto iudicio
ſemp reſeruet in quibus ſeruet veritas
iuſtificationis: qui ita pauciſſimi ſunt
q in tanta multitudine maloꝝ nō ap
parent. ſemp tamē ad numerū ſeptem
reſeruant. iuxta illud. iij. Reg. xix. Re
ſeruaui mihi in iſrael ſeptē milia viro
rum qui non curuauerūt genua ante
baal. Per qs intelligunt viri fideles ſe
ptem donis ſpūſſancti: pulchriformit
illuſtrati: qui non curuant genua dya
bolo bellatori p conſenſum. Accedat
ergo tercia acies demonū bellatorum
volentes murū capere violenter ſz nō
poſſunt. quia vt dictū eſt mur⁹ eſt cha
ritas que fortiſſima eſt. Charitas eniꝫ
nunq̄ excidit. j. Coꝛ. xiij. Nō vidēs ca
pitaneus hui⁹ aciei qui māmona dicit
vt poſſit triumphari de cuſtodib⁹ mu
ri armauit milites ſuos fortiſſimis ar
mis auaricie z ſymonie: z cuꝫ murus
nimiū anguſtiaret: venerūt prelati nō
pauci ad p lamentū cum māmona z re
ſcatati ſunt. Dic mihi quis eſt in eccle
ſia qui nō ſit reſcatatus p mammona
vis tu aliquid in eccleſia: opoꝛtet q p
mo roget p te māmona. vis epari ha
beas p te aduocatū māmonā. q2 a ma
iori vſq ad minorē oēs auaricie ſtudēt
z a ppha vſq ad ſacerdotē cūcti faciūt

Hieremie.vj. Jam nihil valēt electiones canonice in eccleſijs cathedralib⁹ ſed fauor ꝛ pecunia .nihil ſcia ꝛ ſancta vita ꝫ aſtuta mãmone malicia. ꝛ ſic ruptus eſt murus ciuitatis iuſtificatiōis ꝓ magna pte. ꝛ multi vigilantes occiſi ſunt. qꝛ non vigilant illi tales ꝑpt curam aiarū ſed burſarū. Ideo dicit bern. quē mihi dabis ḋ numero platoꝝ q̄ nō mag⁹ ſtudeat burſis euacuandis q̄ꝫ vicijs extirpandis. plus ſtudēt in ſalmone q̄ꝫ in ſalomōe. Merito ḡ de his cōquerit̄ dn̄s Ezechiel. xxij. Sacerdotes eius cōtempſerūt legē meā polluerūt. ſanctuaria mea. inter ſanctū ꝛ ꝓphanū nō habuerunt diſtantiā ꝛ inter pollutū ꝛ mundū nō intellexerūt. ꝛ a ſabbatis meis auerterūt oculos ſuos ꝛ coinquinabar in medio illoꝝ. Rupto ergo muro ꝛ ꝑemptis talibus cuſtodibus iniquis ex vulnerib⁹ auaricie ꝛ ſimonie ingrediunt̄ demones ciuitatē ſanctificatōis ꝛ occidunt filios .ſ. cogitatōes eoꝝ capiunt mulieres affectōes ꝛ viros .ſ. ꝯſenſus quos captiuos in damnatōe; ꝑpetuā abiſſi infernalis deducūt ꝓ magna pte. ꝛ ciuitatē ignibus exponūt vt remaneat lapis ſup lapidē. qꝛ quaſi nihil iuſticie. nihil humilitatis. nihil charitatis remanet in illa ciuitate. Sic ergo incenderūt electā ciuitatē ſanctitatꝭ ꝛ deſertas fecerūt vias ipſius eccłaſtice ꝑlitꝫ. hanc deſolatōem ꝓuidens ſaluatoꝛ noſter dolens de talium aiaꝝ damnatōe ſuo ſanguine redempturū flenit ſuper illam .ſ. ciuitatē iuſtificatiōis q̄ſi ei diceret. o ciuitas mea dilecta. o ſpūalis habitatio mea quis te ſic deſtruxit. quis te in abiſſum merſit. o ciuitas melius tibi fuiſſet nunq̄ꝫ fuiſſe vbi ſūt muri charitatis. vbi ē antemurale iuſticie. vbi eſt foſſatū humilitatis vbi ſunt tui ꝓlati charitatiui. vbi principes iuſti. vbi ſunt hūiles religioſi oīa ſubmerſa ſunt Et quis poterit cōtinere lachꝛymas ſi cū deuotōe voluerit cōtemplari q̄t anie pereunt religioſoꝝ. quot aie principū. quot aie ꝓlatos. quot aie ſubditoꝝ ſub vtroq̄ꝫ brachio ex eoꝝ malo exemplo ꝛ regimine de illis. Sed licet quaſi .vij. numeri in hoc demonū bello cadāt religioſi ꝑncipes ꝛ milites ꝓlati ac eccleſiaſtici ſubditi etiā ſub vtroq̄ꝫ brachio. ſꝑ tñ manent aliqui in q̄bus ſaluat̄ veritas fidei ꝛ iuſtificatio bone cōſcientie ꝛ ſi uō niſi duo viri fideles remanerēt in mundo in eis ſaluaret̄ eccłia que eſt vnitas fidelium charitatis vinculo adunata. nō eſt aūt dubitandū quin aliq̄ tales ſint in mundo. qꝛ ſm Chriſoſto. iuſti ſunt in mūdo ſicut medulla in arboꝛe qua deficiente deficit ſeu perit arboꝛ. ergo ſi non eſſent aliqui iuſti periret mūdus. fluctuat ergo nauicula petri ſed nō mergit̄ belloꝝ turbinib⁹ quibuſcunq̄ꝫ. qꝛ poſtea infert .i. demonū furie nō ꝓualebunt aduerſus eam cū ſit turris fortitudinis a facie inimici. Et attente intuendū eſt q̄ iſtud bellū diaboli nunq̄ꝫ ceſſat imo cōtinuo creſcit ꝛ aggrauat̄. Unde dicit yſido. libro .ꝫ. de ſūmo bono q̄ quanto ꝓpinquius finem mundi diabolus videt tanto crudeli⁹ ꝑſecutōes exercet. vt qui ſe cōtinuo dānandū cōſpicit ſocios ſibi multiplicat cū q̄bus iehenne ignib⁹ abdicat̄. Reſūptis ergo viribus ꝛ captis armis ꝑpīane militie. de q̄bus ſupꝛa libro pꝛimo cōſideratōe pꝛima dictū fuit vigilādū eſt ꝛ viriliter pugnandū cū demonib⁹ qꝛ vt dicit apłus ephe. vj. nō eſt nobis colluctatio aduerſus carnē ꝛ ſanguinē .i. aduerſus hoīes q̄ ſūt caro ꝛ ſanguis ꝛ ꝑ conſequens viſibiles. ſed aduerſus pꝛincipes ꝛ ptātes .i. demōes qui ſunt hoſtes inuiſibiles. ꝛ dicit pꝛincipes et ptātes. qꝛ angeloꝝ oꝛdines non ſolum ſunt per grām ſed etiam ꝑ naturā. ꝛ ſic de ſingulis oꝛdinibus ceciderunt aliq̄ in q̄bus naturalia ꝑmāſerūt integra vt

dicit Dioniſius. ⁊ inferiores obediunt ſuperioribus vt poſſint nocere hominibus. ⁊ per principes ⁊ poteſtates intelliguntur alij ordines demonum. Sequitur aduerſus mundi rectores. hic nomine mundi non intelligitur vniuerſitas creaturarum que non regitur a demonibus ſed a deo ⁊ angelis ſibi miniſtrantibus. ſed intelligitur vniuerſitas malorum hominum. ſic dicitur Jo. j. mundus eum non cognouit qui per demones reguntur inquantum per eos ad peccatum mouentur. propter quod ſubditur ad declarationem huiuſmodi intellectus tenebrarum harum. dicuntur enim mali homines tenebre. quia ſunt inuoluti tenebris ignorantie ⁊ culpe. contra ſpiritualia nequicie. i. contra ſpiritus nequam ſiue malignos. quod dicitur ad oſtendendum quod per rectores mundi hic demones intelliguntur in celeſtibus. i. in hoc aere caliginoſo quod frequenter in ſcriptura celum nominatur in quo demones habitant vſque ad iudicium. vt ſupradictum fuit. propter quod etiam aues celi nominantur Math. xiij. vbi dicitur quod aues celi comederunt ſemen quod cecidit ſecus viam. Sic exponit predictum verbum Nicolaus de lira ſuper epiſtolam ad Ephe. propterea accipite armaturam dei. ſ. virtutum. vt predictum eſt. vt poſſitis reſiſtere inſultibus demonum in die mala. i. in preſenti vita vbi imminet temptationum pugna vſque ad diem iudicij que etiam erit dies mala malis ⁊ amara valde. vnde ⁊ iohannes papa ſcribens yſaac ciracuſano epiſcopo. xvj. q. ij. ca. viſis. de aſtutia diaboli ⁊ bello contra eccleſiam catholicam. ac de munitione noſtra dicit ſic. nec ignoramus aſtutiam eius conatur namque a principio ruine ſue vnitatem eccleſie reſcindere charitatem vulnerare ſanctorum operum dulcedinem inuidie felle inficere. ⁊ omnibus modis humanum genus peruertere ac perturbare. Dolet enim ſatis ⁊ erubeſcit charitatem quam in celo nequiuit habere. homines conſtantes ex lutea materia in terra tenere. Vnde oportet quantum fragilitati noſtre conceditur vt omnes aditus nocendi eius verſutie muniamus ne mors ingrediatur per portas noſtras. Hec ibi.

De diuerſitate demonum et ſi poſſunt habere ſpiritus familiares

Decima conſideratio eſt de diuerſitate demonum. ⁊ ſi poſſint habere ſpiritus familiares. Pro declaratione primi notandum eſt quod ſicut boni angeli ſunt diſtincti in nouem ordinibus. ⁊ cum eis anime ſancte. ſic etiam demones. quia a nouem ordinibus ceciderunt. ſunt diſtincti in nouem ordinibus. ⁊ cum eis anime damnate. Et illi demones qui erant altiores hierarchie facti ſunt peiores. ⁊ inferiores in meridionali parte quorum preſidentem vocauit dauid demonem meridianum. Eſt autem vox communis multorum quod ſunt. x. differentie demonum quidam dicuntur fata Alij dicuntur vulgariter dueñ de caſa. Alij dicuntur incubi ⁊ ſuccubi. Alij faciunt praelia. alij comedunt ⁊ bibunt cum hominibus apparent in ſomnis. alij vt dicunt fiunt ſpermate ⁊ ex odore viri ⁊ mulieris cum coniunguntur. vel ex radijs planetarum. Alij ſunt maſculi ⁊ femine. aliqui ſunt mundi ⁊ aliqui inmundi. alij illudunt viros ⁊ feminas qui turgunme ſiue bruxe vulgariter nuncupantur. multi aſſerunt ſe talia vidiſſe ⁊ quaſi tenent quaſi certa. ſed quid veritatis contineat conſequenter declarabitur.

De fato.

Prima differentia demonum eſt de fatis. voluerunt quidam ſimplices dicere quod fata ſunt quedam femine quas dant ſpiritus ſuper creaturam nouiter natam. Vnde ⁊ ſeneca tragedia prima in choro primo loquitur de eis quaſi de quibuſdam ſororibus ſiue deis que ſic diſponunt vitam humanam quod nullus poteſt pertranſire ordinem ab eis diſpoſitum ſic: dicens dura peragunt penſa ſorores. nec ſua retro fila re

uoluunt ad genua hoim. ferur rapidū obuia fatis icerta sui. Sequit̄ certo ve niūt ordine pce.i.ſorres ille que diſponunt vitā humanā nulli iuſſo ceſſare licet.nulli ſcriptū pferre dicet. q̄ aūt fata ſint tales femine vel dee diſponetes vitā humanā error eſt. Unde dicit augu.ſuper Iobā.ſermone tercio.qui edificant ad credenda fata.ſ.talia ſiūt corda eoꝝ fatua. Et ſm vitatē ſi alicui nomen fati tribuat̄ nulli niſi volūtati dei tribuēdū eſt.ſm aug.v.de ciuit. dei ca. viij.q2 ille ſummus deus optime ꝛ veriſſime credit̄ cuncta ſcire anteq̄ fiant. ꝛ nihil inordiatū relinquere. Quia ergo diuina voluntate cuncta diſponūt̄ cum ſit prima regula in ↄtingentibus ideo fatū non mulieres nō dee nō vis poſitōis siderū ſed diuina voluntas fatum appellabit̄. Vn̄ fatū iſto mō dicit̄ a for faris.ꝛ ſic fatū dicit̄ qđcqd deus fatur. Si plura vis videre de fato ꝛ fortuna ac diuina puidentia. vide in dialogo fortune libro.j.ca.ix. vbi latiſſime de hac materia locutus ſum. Sed qđ dicendū eſt ad illos qui dicunt ſe talia fata vidiſſe. Rn̄det̄ q̄ ſi talia accidant nō femine ſed demones ſunt qui nolūt imitari ꝛ deridere illud q̄ deus dixit p angelū abrae de natiuitate yſaac.ꝛ illō qđ dixit angelus matri ſampſon. ꝛ illud qđ dixit angelus zacharie patri iohānis baptiſte.ꝛ qđ dixit angelus marie virgini de xp̄o anteq̄ cōcipet.

Secunda differentia demonum.

Secunda differentia demonū ē illoꝝ qui dicunt̄ duen de caſa. Experiunt̄ ſepe hoies de nocte in domib⁹ ſuis vigilantes in lectis ſuis q̄ ambulat aliquis p domū mutando frangendo res aliquas ictus magnos dando ſpecialiter in vaſis vinarijs am mouendo etiā a capitibus hoim birreta ſua.ꝛ tollendo omnes rupas quas in lectis ſup ſe habent. in quoꝝ aliqb⁹ bus ego expertus ſum. Cum.n.iuuenis eſſem ꝛ iacerē in quadā domo quadrata cuius ſolū vnica erat porta ab intus bene clauſa cum alijs tribus ſocijs in eodem lecto. Ecce ſubito in tempeſte noctis ſilentio audiuimus extra portā quaſi ſonū quē apothecarij faciunt in mortariolis ereis in fracturā ſpecierū euigilantes ergo ꝛ mirantes quid hoc eſſe poſſet tali hora ceſſauit modicū ſonus ille.ꝛ poſt paululū ſenſibiliter audiuim⁹ intra domū ſub menſa quadaꝫ que ibi erat ſub qua manſerat cophin⁹ quidē quaſi plenus nouis nucibus. et tantus ibidē ſentiebat̄ a nobis ſonitus nucū ↄfractarū ac ſi ibidē plurimi porci groſolantes nuceſq̄ ↄfrangētes ambularent. de quo non modicum ſtupefacti eramus cum ſanua optime ab intus eſſet clauſa ꝛ nullus alius eſſet ingreſſus. Poſt paululū vo ceſſante ſonitu illo in angulo pdicte quadre nobis oppoſito.ſubito apparuit quidam paruus ſplendor ꝛ nunq̄ amplius vidimus nec aliquid ſenſimus. Quidaꝫ autē ex ſocijs qui maioris etatis erat ꝛ vir ſatis peritus dixit nobis q̄ non timeremus.quia erat quidam ſpiritus malus nobilis aerarchie qui alia mala non operabatur niſi ludos illos. ſed die facto nuces ſicut dimiſimus inuenimus. Faciunt etiaꝫ luctam cum hominibus ꝛ plura alia aliq̄bus pauoroſa.ꝛ ſm veritatē tales nō ſunt homines nec mulieres ſed ſunt quidā demones qui volunt deridere homines volētes imitari angelū qui luctatus eſt cuꝫ iacob.ꝛ angelū qui locutus eſt cū Moyſe.ꝛ angelum quē vidit Joſue in campo hiericho.ꝛ licꝫ multa damna de nocte in domibus videantur egiſſe. nihil tamen damni de die reperitur. Nec

res aliqua mutata de loco ſuo. ſed quelibet in ſuo ordine ſicut primo erat. eſt ergo illuſio quedã taliũ demonũ deriſorũ que ad nihil aliud extendi põt niſi ad talem hoĩm deriſionẽ.

Tercia demonũ differentia ẽ.

Tercia differentia eſt quorundã demonũ qui incubi ꝛ ſuccubi nuncupant. qui homines generare dicunt. tales n. demões in ſpecie hominũ viroꝝ aliquo mõ. Aliqñ incũbunt feminis ꝛ aliqñ in ſpecie feminarũ ſuccumbunt viris. Quõ aũt tal' generatio efficiat declarat doctor ſeraphicus ꝛ bonauentura ſup ſecũdũ ſniarum in ſcripto ſuo. dicens ꝙ in actu generationis ſunt duo. ſ. ſeminis deciſi conſtitutio ẽm neruos ꝛ virtutes caloꝝ tali ſpeciei cõpetentes. ꝛ ſic eſt ſolius illi⁹ cui dedit deus vim generatiuã vel propagatiuã. ꝛ hoc nullo modo competit demonibus aſſumẽtibus corpus. Itez eſt ibi ſeminis pfecti tranſfuſio ꝛ tranſfuſi ſuſceptio. ꝛ hoc põt ꝯpetere demonibus. Primo n. demones ſuccũbunt viris in ſpecie mulieris ꝛ ex eis ſemen pollutõis ſuſcipiunt ꝛ quadã ſagacitate nature ipm ſemen in ſua virtute cuſtodiunt. ꝛ poſtmodũ deo ꝑmittente ſiunt incubi. ꝛ in vaſa mulieris tranſfundunt ex qua tranſfuſione homĩes generari poſſunt. non tñ ſic generati ſunt filij demonũ ſed homis. Hec ille. Iſto mõ fert generatũ fuiſſe merlinũ. Vnõ legitur in hiſtorijs brittanoꝝ ꝙ rex bortegris qui brittaniã regebat totius inſule in ſe odia conſiderans. Inito cõſilio cuz ſapientibus quid agere deberet ad tutamen ſui iuſſit ꝯuenire artifices qui ei caſtrũ fortiſſimũ fabricarent. ſed cum opus terra abſorberet ſuaſum eſt ei a magis ꝛ cõiectoribus. vt hoiem ſine patre natuz quereret. ꝛ eius ſanguine lapides ꝛ cementa aſpgi ꝑcipet. ꝛ ſic ſuũ edificiũ ſtare poſſet. Querit ergo. merlinus qui illis tẽpibus natus erat cuius ortus tradit fuiſſe mõ ſubſcripto Quidã n. dicunt eum fuiſſe filiũ cuiuſdam monialis filie cuiuſdaz regis que clementia vocabat. Richardus võ dicẽ eaz nõ fuiſſe monialẽ ſed dicit ꝙ inter moniales nutrita fuit in eccia beati petri de vrbe baemadim. Huic autẽ demon apparebat in ſpecie pulcherrimi iuuenis quã ſepius alloquens deoſculabat. tandẽ eam cognoſcens grauidã dereliquit. Cũqꝫ huius facti noticia ad ꝑdictũ regem bortegeriũ ꝑueniſſet ſtupefactus rex a magis ꝑquirit vtrũ hoc poſſibile videret. qui reſponderũt ꝙ ſic qꝛ phoꝝ hiſtorie hec affirmant. Refert em̃ apoleyus inter lunam ꝛ terram eẽ demones incuboſ certa. qõ nec beatus aug. diſcordat. vt i. xv. libro de ciui. dei patet. Hic merlinus a nũcijs regis requiſitus. cum inuentus fuiſſet corã rege cum matre adducit. Qui regẽ interrogauit cur ipe cuz mr̃e ſua vocati fuiſſent. Cui rex cãm vocationis apperuit dixit quoqꝫ ꝙ vnum caſtrũ ſeu turrim edificari mandauerat. ſed fundamẽta in loco firmari nõ poterant. qꝛ quicqd ĩ die edificabat in nocte totũ abſorbebatur. Cumqꝫ magi ꝛ cõiectores de cauſa requiſiti fuiſſent. Reſponderũt nullo mõ poſſe in loco fundamenta firmari. niſi inueniat homo ſine patre cui⁹ ſanguine lapides ꝛ cementa aſpgant. Tu aũt diceris eẽ talis. ꝛ ꝑpter hoc te ꝑquiri fecimus. Ad que verba merlinus reſpõdit dicens magos ꝛ cõiectores fuiſſe mentitos. cãmqꝫ aperuit ꝑpter quaz non poterant firmari fundamenta. aſſeruit quoqꝫ ſtagnũ ſub fundamẽto eẽ ꝙ totũ qõ ſtruit abſorbet. Querit ergo fodiendo ꝛ ſic inuenit. Tunc mandat merlinus euacuari ſtagnũ p riuos ꝛ incepit tunc aperire myſteriũ futuroꝝ. ſicut plenius continet in collectatione hiſtoriaꝝ fratris Johannis de podio.

Non ergo ſm ea que ſupradicta ſunt: mirandū eſt ſi ſic homines generent̄ p demones incubos ⁊ ſuccubos. lȝ iſtud raro inueniat̄. frequenter tñ experiunt̄ alique femine etiā deo dedite ⁊ nimiū deuote tales demones ad ſe venietes. qui eas vigilantes a lectis extrahūt vel orantes amplexant̄. ⁊ quadā dulcedie ſomni ſoporate euigilantes inueniunt ſe pollutas ac ſi cuȝ viris miſceret̄. nec remediū ſe habere poſſe. dicunt niſi ſolum cū ligno vere crucis xp̄i. in cuius pñtia accedere nō pñt tales demones ſicut iſtis temporibus experte ſunt q̄ hoc bello tribulant̄. De viro etiam quodaȝ deuoto audiui ꝙ ſemel cū eſſet in orōne ſentiebat in aere quandā dulcedinē cantus venire ad ſe qua appropinquāte ſoporabat̄. ⁊ euigilanſ inueniebat ſe pollutū. Plura alia de iſtis ſpiritibus accidunt que longū eſſent enarrare. tales. n. demones volunt deridere hoies ⁊ volunt imitari angelos q̄ loquebant̄ cum daniele ⁊ cum zacharia. ⁊ cū ſancto iohanne q̄ quaſi ſp̄ erant cuȝ eis in cubiculo ſuarū habitationū.

Qualiter demones videntur facere prelia.

Quarta differentia eſt aliquoruȝ demonū qui vigilantibus per vias apparent quaſi exercitus magni. qui cū magnis tumultibꝰ incedere vident̄. ⁊ vulgo dicit̄ hueſta antigua. Aliqñ etiam videntur facere ꝓlia magna. tales. n. volunt imitari ꝓlia regis ſenacherib ⁊ conſtantini ⁊ alia multa. de q̄bus ſupra libro. iiij. ↄſideratiōe. ix. dcm̄ eſt. In quibꝰ ipſi lucrati ſunt nō paruam multitudinē animarū.

Quō demones in forma humana videntur comedere.

